

Sed ô IESU Christe, memento te Iesum nostrum esse, miserere nostri & salva nos, vulnusq; quo nos fauciasti, ipse sana: gladium iræ tuæ, quem super nos strinxisti, flammantem, tonantem, fulminantem, sævientem, philanthropia obtunde, virgam, quæ vertici nostro imminet, confringe, lacera. Speremus age meliora, aut optemus dūtaxat. Aut si ne quidem meliora optare licet, desinamus sinistrè ominari. Ad quodvis enim fulgur, quod ajunt, ictus non sequitur: Ad quemvis ictum telum non mittitur, cum etiam ad ipsius Darij electionem fulmen boni ominis subsequutum esse, constet ex Historijs. Ostendisti nobis heri, mi DEVS, signa iræ tuæ fautor, ostendisti & vicissim signa gratiæ. Vnus auditus est ictus tantum, non crebri, ut te metum incutere velle, non exitium significares. Accendisti quidem turrim nostram, sed non exussisti. Restinctus est, ô DEVS, te juvante, ignis defubito, quem tua manus accenderat. Fuiisti enim paternè memor tuæ misericordiæ, etiam in medijs furoris tui flammis. Et, bone DEUS, reluxit paulò post nobis tandem phœbus post nubila, reluxit dies, reversa est serenitas, tenebræ evanuerunt. Redeat redeat nobis tandem, ô DEUS, Lux misericordiæ, Sol bonitatis, splendor longanimitatis tuæ, et Serenitas vultus tui. Hæc precemur: Hæc speremus: ita tamen ut spem fidemq; nostram timore, & tremore condiamus semper. Interim æterne DEVS serva Principem nostrum, totāq; domū Pomeranicā, virtutem tuā in infirmitate

Herod.
lib.3.